



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses**

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Calvinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

**Stapleton, Thomas**

**Lvgdvni, 1595**

24. Magister, Moyses dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39463**

fide orthodoxa, modò Lutheranorum, modò Calvinistarum, modò Caluini, Beze, Musculi, modò Chemniti, Melächthonis, Magdeburgensium argumenta soluere, maledictis respondere, mendacia detegere. Nunc bonus Calvinus ne hanc suam & suorum turpitudinem in hac Pharisæorum, Sadducæorum, & Herodianorum contra vnum Christum pugna quisquam aspiceret, auertit lectoris oculos ad umbras quasdam à se confictas Epicureorum & Libertinorum, qui vnâ cum Catholicis Principibus, Pastoribus, ac Scriptoribus, Caluini cacangelion infesto odio persequuntur.

24. *Magister, Moyses dixit, Si quis mortuus fuerit non habens filium, &c.*

Obseruare hoc loco licet, omnes veritatis hostes contra ipsam veritatem testimonia veritatis obtendere. Purauit sibi hoc obseruandum Calvinus, vt, dum alios aceusat, *Caluinus se ab eodem crimine immunem esse persuadeat. Ait enim. Sic impij omnes ac heretici calumnias fabricant, quibus deformant veram pietatis doctrinam, ac pudefaciant seruos Christi.* *Caluinus sum crimen aliis impingit.* Nec generali hac verâque obseruatione contentus, addit. *Imò Papiſta nulla verecundia tenentur, quo minus apertè Deo verbòque eius illudant, dum nos circumuenire tentant.* Suam iterum foetidam scabiem aliis affricat; & præoccupatione vsus, crimen horrendum, quo ille vnus maximè tenetur, aliis impingit. Vnum quippe Caluinum Deo, verbòque eius Euâgelico, turpissimè & audacissimè illudere, vt simplicem lectorem circumueniat, per tot iam Euangelij loca ostendimus, quos contra corruptelas eius iam pertractauimus; per tot rursum loca ostendemus, quos deinceps, fauente Deo, tam in hoc quàm in aliis Euangelistis tractaturi sumus. Et ne longè abeamus, in hoc ipso S. Scripturæ textu, quem citant Sadducæi, illudit præſenti Scripturæ Calvinus, siue per ignorantiam, siue per superbiam, vt aliquid præ cæteris sapere videretur. Legem enim illam, quòd frater defuncti fratris vxorem ducat, ad semen suscitandum fratri suo, negat Calvinus *de fratribus germanis intelligendum esse, sed de consobrinis tantum & similibus.* Quod apertè falsum esse veteris populi praxis in Scripturis deposita ostendit. Quum enim eadem lex apud Patriarchas quoque veteris populi maneret, propter eandem tunc huius legis causam, ne familiæ earundem tri-

*Caluinus Scripturam corruptor maximus.*

Gen. 38.

bum interirent, Iudas duobus filiis suis fratribus germanis Her & Onan Thamar vxorem dedit, & culpam suam postea agnouit, quòd tertio filio suo Sela eandem non dedisset, reliquis duobus fratribus cita morte à Deo percussis.

29. *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.*

Ignorantia  
& incredulitas.  
Hæresum  
origo duplex.

**I**n signis hic locus est, ad totius erroris, quo veritatis hostes hæretici laborant, fontem atque originem duplicem demonstrandam. Duas ob causas errare Sadducæos dicit Christus: tum quia Scripturas ignorabant, tum quia Dei virtutem ac potentiam admirabilem non credebant. Vtrumque agnoscit hoc loco Calvinus. De priori dicit. *Hæc Christi obiurgatio generaliter in omnes falsorum dogmatum inuentores competit. Nam quum nobis in Scripturis clarè Deus affulgeat, errorum omnium fons & causa est earum ignoratio.* De posteriori (licet obscurius) dicit, *ritè & prudenter eos demum sentire & loqui de regni caelestis mysteriis, qui Dei potentiam cum Scripturis coniungunt.* Quæ quidem posteriora verba duplicem habere sensum possunt: vel vt tum Scripturas tum Dei potentiam circa regni caelestis mysteria considerare debeamus, qui huic loco consentaneus est: vel vt Dei potentia cum Scripturis ita coniungatur, vt de Dei potentia nihil credendum sit, nisi quod in Scripturis reuelatum est; qui sensus ab hoc loco alienissimus est, nec perinde verus. Et quia in hoc sensu alibi de Dei potetia disputat Calvinus, meritò quo sensu hîc dicat Dei potentiam cum Scripturis coniungendam, dubitare possumus. Ad rem autè ipsam parum interest. Christum enim duas erroris causas notare perspicuum est. Nam primùm ignorasse Sadducæos Scripturas probat Christus, quia Scriptura apertè vocat Deum, *Deum Abraham, Isaac, & Iacob: Deus autem non est Deus mortuorum, sed viuētium.* Viuunt ergo quoad animas (nam & hoc Sadducæi negabant, non credentes animarum immortalitatem, vt de illis scribit Iosephus Antiq. lib. 18. cap. 2.) & victuri sunt quoad corpora; quia vnum ex altero cōsequitur, propter perpetuam illam inclinationem animæ ad corpus, quæ frustra esse non potest. Postea virtutem ac potentiam Dei eos ignorasse probat, quia post resurrectionem corporum nō viuēt vitā mortalium communi, quasi cibo & potu indigentes, quod illi crasè existimabant, quasi Deus aliter eos in vita corporali sustentare non posset, sed viuēt sicuti Angeli vitā spiritali, tametsi